



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione  
Et Anima

**Młodzianowski, Tomasz**  
**Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 3. Continuatur propositum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)



temq; aliquam, terminetur tamen ad ipsum compositum.

### Punctum Difficultatis 3.

*Continuatur Propositum.*

**R**ESPONDETUR quartò, sufficientem mutationem, ob quam materia & forma à non esse uniti ad esse uniti transeant, esse intimam præsentiam in circumstantia dispositionum prærequisitarum. Porro ipsam indistantiam non volunt esse talem; qualis est distantia locati à loco, sed indistantiam, quæ intimitatem adferat, qualem intimitatem dicit Deus ad creaturas, dicerent item duo corpora, si se penetrarent, puncta item se tangentia.

**IMPUGNAT** primò, hanc responsionem Oviendo, quia si unio consisteret in indistantia, seu in præsentia utriusque extremi, sequeretur, quòd quotiescunque homo moveretur, sicut acquirit novam præsentiam ita acquireret novam unionem, in approximatione consistentem.

**RESPONDETUR**, quòd scilicet per motum localem non acquirat novam præsentiam materia & forma inter se, sed tantum acquirant præsentiam ad extrinsecam, & sicut sedens in equo respectu equi eandem præsentiam habet, quamvis respectu aliorum aliam, ita & materia respectu formæ. Deinde à respondentibus requiritur indistantia non merè localis, sed indistantia cum certa intimitate, quæ per solum motum localem non acquiritur.

**IMPUGNAT** secundò idem. Si unio in approximatione consisteret, sequeretur unam formam substantialem, non expellere aliam, possunt enim inter se penetrari, nam non adferunt proprias quantitates, & impenetrabilitas illis, non nisi ratione quantitatis competit; si ergò se penetrarent, cum sint futura proxima & indistantes ab eadem materia, informabunt illam.

**RESPONDETUR**. Non quomodocumq; in approximatione & indistantia sitam esse rationem unionis, sed in indistantia & dispositionibus materiæ, quæ non sunt in materia, nisi pro una forma, determinatioq; alterutrius penderet à Deo, & utraq; quidem haberet indistantiam localem, sed non nisi una determinabilis à Deo intimitatem explicatam.

**IMPUGNAT** tertio. Si unio consisteret in materia & forma sumptis cum indistantia & dispositionibus, vel illa indistantia & dispositiones haberent se per modum merè extrinsecæ ad unionem, ita scilicet, quòd unio in sola materia & forma consisteret, vel per modum alicujus ad unionem spectantis, si per modum extrinseci, sequitur, quòd quotiescunque ponitur materia & forma indistantes, toties poneretur & unio, cum non nisi in indistantia materiæ & formæ staret; si

autem aliquo modo dispositiones spectant ad rationem unionis, contra erit, quia potest materia uniri miraculosè formæ sine dispositionibus, & materia prima Beatissimæ habuit ad animam Christi dispositiones, & tamen illi unita non est, quantumvis illi fuerit intimè præsens.

**RESPONDETUR**, Non convincere hoc principium, quasi non possit aliquid extrinsecum esse tale, ut sine ipso non possit aliquid esse, nam terminus, est quid extrinsecum relationi, etiam Transcendentali, & tamen sine eo, non potest esse relatio, Organisatio corporis perficitur per accidentia, sine ullis formis partialibus substantialibus, & tamen sine illis, non potest esse compositum humanum. Deinde aliqua forte dispositiones requiruntur ad uniri. Materiæ primò, quæ non requiruntur positæ jam unione; hinc corpori Beatissimæ, nõ potuit uniri anima Christi, cumq; defacto fuerit unita corpori Beatissimæ, anima ejusdem, non habuit vim uniendi se ejus corpori, Anima Christi. Denique supponit arguens, quacunq; indistantia formari rationem unionis, quòd negant oppositi, unde quamvis concederetur Beatissimæ animæ indistantia localis à Corpore Christi, posset nondum esse unio ob defectum intimitatis. *Hinc aliter*

**CONTRA** Responsionem est, Tum quia, Concedo quidem ostendi ratione dispositionum mutationem, sed nego illam esse sufficientem, quia hæ dispositiones vel sunt tales, ut illis positis impossibile sit non sequi unionem; vel certè illis positis possibile est non sequi unionem; non secundum; quia hic queritur de tali ratione; quæ positæ sit impossibile non sequi compositum; & quæ sit objectum volentis Dei, ut ex non unito, fiat unitum; objectum autem hujus voluntatis Dei, debet esse tale, ut sicut impossibile est frustrari voluntatem, Dei volentis, ut ex non unito fiat unitum, ita etiam, ut impossibile sit illud objectum non inferre rationem uniti; non etiam potest dici primum, quia omnium formarum effectus, qui non sunt formales primarii, sunt impedibiles, sed indistantiæ & dispositionum effectus formalis primarius non est unire, sed tantum disponere ad unionem, & sicut disponere ad gratiam, non est gratum facere, disponere ad formam ignis, non est ignire, ita nec disponere ad unionem, erit unire, Deinde si positæ indistantiæ, & dispositionibus, impossibile est non sequi unionem; istæ dispositiones non possent poni, quin ponantur extrema unibilia, licet possint poni extrema unibilia sine illis dispositionibus, hoc autem est formalissimè admittere modos. Tum quia specialiter contra indistantiam urgendo, quæro per hanc indistantiam, vel intelligis solam præsentiam localem, vel aliam intimitatem penitiorum? Si primum, quæro, vel in illa ipsa statuis unionem,



nem, vel in aliquo alio etiam? Si in illa statuis inadæquatam unionem; Ergo penetratio, erit inadæquata generatio, quia erit inadæquata ratio unionis materiæ & formæ. Si autem indistantia adæquatam habet rationem unionis, penetratio erit generatio, sequeturque genitum Christum & Beatam Virginem; cum nascendo filius pene rabat ejus viscera. Si autem per hanc indistantiam intelligis, non solum præsentiam localem, sed aliquam aliam intimitatem, quid hæc intimitas? Rursus cum hæc intimitas non sit entitas superaddita, sed sola formalitas, restituo argumentum; impossibile est transire, à non esse intimi penitus, ad esse intimi sine sufficienti mutatione, quæ hinc mutatio? Tum quia discurrendo circa has dispositiones urgeri potest, dantur unibilia de novo, quæ non requirunt intimitatem de novo. Ergo ratio uniti male per dispositiones explicatur, queritur enim hic ratio formalis, adeoque universalis uniendi, qualis est albedo respectu dealbandorum. Antecedens probatur, quia Personæ Divinæ sunt unibiles de novo naturæ creatæ & tamen ad hoc uniri nullā indigent novā intimitate.

RESPONDETUR quinto, quod à non esse uniti, sit sufficiens mutatio naturaliter & ordinariè loquendo, ipsa indistantia & dispositiones, itemque educatio respectu formarum materialium, & creatio respectu animæ rationalis ita, ut naturaliter loquendo, uniri nihil aliud sit, nisi materiam habere dispositiones, & esse illi formam, quæ educitur vel creatur præsentem, quia verò fieri potest miraculosè, ut non fiat illorum unio, etiam positis illis prærequisitis, hoc inde fit, quia positis illis prærequisitis ponit Deus modum determinantem, quominus illa uniantur; atque ita jam unio erit ipsa materia disposita, & forma indistantes, prout dicunt negationem modi determinantis in casibus miraculosi, ne sequatur illorum unio. Sic v. g. Angelus habet species futurorum à se cognoscibilem, & per præsentiam illorum, naturaliter & ordinariè loquendo, sufficienter determinatur ad esse cognoscitivi futura, si tamen Deus ponat modum determinantem, ne sequatur cognitio, tunc Angelus à non esse cognoscentis futura, ad esse cognoscentis futura, non poterit transire per solam præsentialitatem objecti, & sicut non est necesse, ut detur modus determinans Angelum positā præsentialitate objecti futuri, ut cognoscat futura; sed sufficit sola negatio modi determinantis & impediens, quominus cognoscat, ita sufficit indistantia formæ & materiæ, unā cum negatione modi impediens, quominus illa uniantur. Et sicut rursus non positā præsentialitate objecti, si Deus velit Angelum cognoscere futura, sufficit ponere modalitatem determinantem Angelum ad esse cognoscentis, ita non positis dispositionibus, si Deus velit fieri unitum, ponet modalitatem determinantem ad esse uniti.

IMPUGNAT primò hanc responsionem quidam, quod scilicet multiplicet magis entia, quam communis sententia modalistarum, quia quamvis pro ordinariis unionibus non adstruat modalitatem, immò explicat unionem per negationem entis, hoc est modalitatis, tamen pro extraordinariis casibus multiplicat modos specie distinctos, unum quidem qui impediatur, ne materia disposita uniatur formæ, & alium, qui materiæ indispositæ uniatur formam indistantem, majusque est multiplicare entia specie distincta, quam solo numero distincta.

RESPONDERI potest, quando pro principio assumitur non esse multiplicanda entia sine necessitate, agitur de actuali multiplicatione; non autem de possibili & miraculosa; porro hæc responsio non multiplicat actu entia, cum non multiplicet actu modalitates. Quod autem possibilitatem entitatum non prohibeat multiplicare illud principium, ratio est. Tum quia illud principium non prohibet affirmare, Deum posse producere quicquid non implicat contradictionem, dicere autem, hunc vel illum modum esse possibilem, est affirmare Deum posse producere, quicquid non implicat contradictionem. Tum quia etiam per Modalistas possumt dari modi, quorum unus etiam indispositæ materiæ uniatur formam, quamvis ordinariè id non faciat, potest item dari alius specie distinctus, qui impediatur quominus uniatur forma indistans, etiam dispositæ materiæ, & insuper Modalistæ dicunt uniri hæc extrema defacto modis. Ergo Modalistæ magis multiplicant entia.

Possent nihilominus hoc argumentum restitui, quod etiam in miraculosis casibus, si aliquid sine miraculo, & sine multiplicatione entium fieri possit, nec ponendum miraculum, nec multiplicanda entia; nisi aliunde id constet. In principiis autem modalium sine multiplicatione entium sequitur negatio unionis, in casibus miraculosis, sed etiam hæc stabilitio argumenti, infringi potest. Quod si hæc duo comparentur inter se, multiplicatio entium in casibus extraordinariis, & multiplicatio entium in obviis & ordinariis, præeligenda sit multiplicatio in illis prioribus, quia procedetur quasi in alio statu rerum, in alio autem statu potest hoc fieri per entia; quod aliàs fit per non entia, Modalistæ autem in præsentī statu multiplicant entia.

IMPUGNAT secundò idem, quod scilicet unio sit quid positivum. Ergo in illa negatione modi, stare non potest.

RESPONDERI potest, unionem esse quid positivum in recto, hoc est ipsa extrema disposita, licet sit quid negativum in obliquo; & sicut ratio termini in quantitate sufficit, quod sit positiva, ratione eorum, quæ dicitur in recto, ita & ratio unionis. *Ceterum*

CONTRA hanc responsionem est. Tum quia, si unio, seu compositio, esset ipsamet materia & forma



*Quid tenendum?*

forma disposita, prout dicunt negationem modi impediens, non unio, seu decompositio, esset positio illius modi; cuius unio dicebat negationem, quod ipsum probatur, quia non esse negationis omnis formae & formalitatis non ponitur aliter, nisi positione entitatis, cuius negatio dicebatur, sic v. g. negatio albi non tollitur aliter, nisi positione albi, non esse relationis, non tollitur aliter, nisi positione relationis. Ergo etiam & negatio modi impediens, non potest aliter tolli, nisi positione modi impediens, atqui hoc falsum est, nam in morte non posito ullo modo fit separatio animae à corpore, adeoque negatio unionis & decompositio, procedit autem argumentum de formali ratione disunionis, non autem de materialiter sumpta disunionem, quae haberi potest, utpote malum ex singulis defectibus, adeoque ex negatione dispositionum. Tum quia, quando Deus vult, ne per praesentiam objecti, species Angelicae de futuris compleantur, & ne Angeli de iis eliciant cognitionem, non est necesse ponere modum impeditivum, quominus cognoscant, sed sufficit sola subtractio concursus ad ponendam entitatem cognitionis, essetque hoc multiplicare entia sine necessitate. Ergo & quando vult Deus, ne positus circumstantiis requisitis, uniatur materia formae, non est necesse ponere modum impeditivum, sed solum subtrahere concursum, ne pulset modalitas, de qua differitur. Tum quia videtur hoc esse inventum, non nisi ad eludendum argumentum sine ullo auctoritatis fundamento, & tamen si nihil impedit, praestat potius talem rationem assignare unionis, quae in ordinariis & extraordinariis casibus, eandem rationem prorsus uniti faciat in extremis ejusdem speciei:

Possit hic adhuc adferri ratio, Cur à non esse uniti ad esse uniti transeat, nempe ratione concursus Divini certae differentiae temporis alligati, in qua Deus decrevit fieri aliquod compositum? Sed hoc principium impugnatum in materia de modis.

ADDO insuper, quod concursus Divinus in seipso spectatus, non sit per illos aliqua entitas, quae sit de novo, hinc restaurari potest argumentum jam factum. Impossibile est à non esse concursus Divini alligati certae differentiae temporis, in ordine ad faciendum unitum, ad esse concursus Divini alligati certae differentiae temporis, transire sine sufficienti mutatione, quare quoniam mutatio intercesserit sufficiens?

## DIFFICULTAS II.

*An unio formaliter accepta, sit modus?*

Tenenda erit media via inter sententiam Nominalium & Modalium, Quod ut fiat, sit

PRÆMITTO I. *Distincta sunt haec duo, quære: An unio salvari possit sine modo, & de hoc diximus superiori difficultate; & aliud est quære, an unio sit formaliter modus, sicut aliud est quære: an universale dari possit sine abstractione formali, & aliud est quære, an universale sit ipsamet abstractio formalis. item aliud est quære: an ratio sensitivi dari possit sine animato, & aliud; an sensitivum sit formaliter animatum, & sic de reliquis. Porro in presenti, secundum hunc alterum sensum quærendum erit: Quod ipsum ut explicetur.*

PRÆMITTO II. *Quod aliud sit dicere materiam determinari, ad esse in actu secundo, & aliud est dicere materiam esse determinatam ad esse materia in actu secundo, nam illud primum habetur à solo actu existentiae, & productionis extra causas, posterius autem habetur tunc, cum materia actu exercet rationem & officium materiae, idem dicendum proportionaliter de forma.*

PRÆMITTO III. *Quamvis certum sit, quod si materia sit determinata ad esse materia in actu secundo, hoc ipso etiam forma sit determinata ad esse forma in actu secundo, supposito tamen quod aequaliter utraq; pars, rationem unionis ingrediatur, debet exprimi utraq; determinata. Posito autem, quod modus determinativus non ingrediatur rationem compositi tanquam pars intrinseca, sed merè tanquam connotatum, non debet dici, unionem esse materiam, formam, & determinationem, sed materiam & formam prout dicunt determinationem, quantumvis si in respectu illa unio, independenterque à nostris conceptibus, dicet omnia illa tria. Hoc suppositum explicatum alibi. His praemissis*

DICENDUM est. *Quod unio formaliter sit ipsamet entitas materia, prout determinata ad esse materia, seu subiecti in actu secundo, & ipsa forma, prout determinata ad esse forma in actu secundo, Aristotelicè autem dices, quod unio sit ipsa materia & forma, quia hoc quidem materia, & illud forma est. Non addidi autem, quod hæc determinatio fiat per entitatem modalem, ut magis universale unionis conceptum traderem, si enim darentur materia & forma, quæ non possent, nisi una existere, illæ verè essent unitæ & determinatæ ad esse talium in actu secundo, sine ulla tamen modalitate, & quia defacto ita determinata extrema non dantur, defacto determinatio illa habetur ab entitate modalis in obliquo, & pro connotato importata.*

PROBATUR primò Conclusio. Si nihil oblit, in eo Formalitas unionis statuenda est, in quam constituit Aristoteles, sed ille ipsam constituit in materia, prout exercet rationem & officium.